

Semi-Tychonico, quod indicat P. Iohann. Bapt. Ricciolus, in Almag. Novo lib. 3. c. 6. & lib. 9. sect. 3. Indeque probabile censet, quia Saturnus duobus Lateronibus, & Iupiter quatuor comitibus ipsum ambientibus, stipati, videntur esse planetæ primarij, & Monarchiam suam in suo mundo ac cælo exercentes, non minùs ac sol, Mercurio, Venere, ac Marte tanquam satellitibus stipatus in suo cælo.

## X. Systema Copernicanum.

**H**Oc Systema ponit in centro Mundi solem immobilem, saltem quoad motum translationis; & circa eum proximè Mercurium diebus 80. suam revolutionem absolventem: deinde venerem nonimestri revolutione, deinde Tellurem cum tota elementari sphaera in orbe annuo (ut vocant) annuam dierum  $365\frac{1}{2}$ . revolutionem ab occasu orientem versùs peragentem, (hoc est, in simili orbe, aut circulo, quali systema Ptolemaicum, & Ægyptiacum, & Tychonicum ponunt solem annuâ periodò revolutum,)